

rosæ classis adventu insulæ præfектus , aut certe consilio-  
rum Emanuelis non ignarus , ut potentissimum alioquin  
hostem aliqua mora ludificaretur , Vitali persuadet , ut Con-  
stantinopolim legatos mittat , affirmans se pro comperto  
habere , Emanuelem vel iniquissimam pacem bello præla-  
turum . Missi Antistes Equilinus Græci sermonis peritus ,  
& Manasses Badoarius . Interim Vitalis in Chium insulam  
transmisit , urbemque cum tota insula confestim in suam  
potestatem redegit . Hic , quia jam hyems appetebat , hy-  
bernare constituit , legatorumque redditum expectare . Et  
quia spes facta erat futuræ pacis , post Chium oppressam  
ab Emanuelis rebus arma abstinuit . Interim ille ( ut cal-  
lido erat ingenio , & ad dolum proclivi ) coram pacis sat-  
agere , quædam petere , alia negare : nunc legatorum po-  
stulata probare , paulo post consilio opus esse dicere : atque  
ita rem de industria trahere , Venetos ludificari . Demum  
re adhuc infecta Equilinus Antistes & Manasses cum Ema-  
nuelis legatis ad Vitalem redierunt . Græcorum legatio &  
ipsa apud nostros alia atque alia causando moram nec-  
tre ; interim pestis ingens repente orta brevi vim hominum  
ingentem confecit . Creditum vulgo est , fontes proximos &  
flumina , unde Veneti aquabantur , Imperatoris jussu vene-  
no fuisse infecta : atque ex ipso aquarum haustu pernicio-  
sum morbum a tota classe contractum . Apud quosdam re-  
perio , Emanuelem cum ingenti classe ad insularum præsi-  
dium venisse , sed non ausum cum Venetis congredi , aquis  
veneno infectis , abiisse . Ferunt , omne Justinianæ familiæ  
nomen ea clade extinctum : nam ita sane acciderat , ut  
omnes ea domo viri , qui arma per ætatem ferre poterant ,  
Ducem secuti , ad id bellum exivissent . Ægre molesteque  
civitas ferebat totius familiæ nomen deperditum iri . Re-  
cordati itaque , ex ea gente adhuc unum superstitem ( Ni-  
colao ei nomen fuisse accepimus ) qui sacris initiatus ad  
Georgii fanum , quod est contra forum ( ut alii vero tra-  
dunt , in littore ad Nicolai ædem ) sacris operabatur : pu-  
blico nomine ad Pontificem mittunt , ut ad eam sobolem  
reparandam liceret juveni religione soluto ex cœlibatu ad

*spes pacis  
facta .**Venetos lu-  
dificatur .**Pestis ex a-  
quis veneno  
infectis .**Tota domus  
Justiniana  
extinguitur .**excepto uno,  
qui propter  
ea religione  
solvitur , et  
matrimonio  
fit aptus .*